

va, sequitur ad naturam, et formam tamquam ad primum agendi principium; non autem per hoc dicitur, quod ad omnem formam sequatur potentia activa, nam multæ sunt formæ, quæ non sunt datæ ad operandum, utpote quæ passivæ sunt. Intelligitur etiam fundamentum D. Thomæ de potentiis formaliter fluentibus ab essentia, non vero de extrinseco advenientibus, licet universaliter intelligi possit sic, quod ubicumque est potentia activa, ibi etiam est aliqua forma ad quam per se sequatur, et ita est calor in aqua.

XXX. Ad illud autem quod de potentia generativa in divinistangitur in fine argumenti, dicimus etiam illam potentiam generativam sequi ad divinam naturam, et essentiam non secundum se, sed prout est in patre, de quo latius in materia de Trinitate tomo ultimo, prima parte diximus.

XXXI. Ad sextum respondetur negando consequentiam; nam licet omnia attributa sint propria naturæ divinæ, est tamen magna diversitas, quod quædam licet dicant perfectionem, non tamen explicant modum, quo talis perfectio est in Deo, ut justitia, et bonitas: et hujusmodi est esse divinum; unde omnia ista communicabilia sunt creaturis. Omnipotentia autem non solum dicit perfectionem infinitam, sed etiam modum, quo talis perfectio est in Deo, scilicet infinito modo, atque adeo nulli creaturæ communicabilis est.

XXXII. Si contra arguas: Quia communicari potest animæ Christi scientia infinita, ita ut cognoscat ea, quæ Dei proprium est nosse; ergo etiam omnipotentia, quæ Dei propria est, respondetur primo negando antecedens, non enim communicari potest alicui creaturæ cognitio omnium rerum possibilium,

alias enim comprehenderet divinam essentiam, ut recte intulit D. Thomas 1 part. quæst. xiv, et nos supra late explicavimus agentes de scientia beata animæ Christi. Secundo, respondetur negando consequentiam, ad plura enim se potest extendere cognitio creaturæ ad quæ non potest se extendere ejus potentia, quia cognoscere potest seipsam, non autem facere.

XXXIII. Ad septimum respondetur, juxta solutionem supra datam, quod omnipotentia non solum dicit infinitatem, sed etiam modum, quo est in Deo, atque adeo communicari nequit alicui creaturæ, quia in illa deberet recipi inferiori modo, scilicet ad modum recipientis, et consequenter non esset omnipotentia.

XXXIV. Sed contra hoc arguitur: Nam in hoc nulla datur differentia inter omnipotentiam, et reliqua attributa; ergo solutio est nulla. Antecedens probatur, quia existere divinum, et bonitas, et justitia, quæ propria sunt Dei, licet sint communicata creaturis, non tamen sunt in illis cum illo modo, quo sunt in Deo: hoc enim implicationem involvit; ergo etiam omnipotentia, quamvis sit propria Dei, ut communicetur creaturæ non est necessarium, quod sit in creatura eo modo quo est in Deo.

XXXV. Respondetur, quod si de re ipsa loquamur non est dubium quin nullum Dei attributum communicari possit creaturis eo modo, quo in Deo est, ita ut creatura sit ab intrinseco infinite sapiens, aut ipsa sapientia, et justitia, et sic etiam nequit habere omnipotentiam. Cæterum differentia, quæ versatur inter illa attributa, et omnipotentiam est, quod ex vi terminorum illa attributa non explicant modum, quo sunt in Deo, et sic convenire possunt creaturis, quamvis analogice. At

omnipotentia simpliciter necessario dicit modum infinitatis circa omnes posibles effectus, et modos ipsorum, quare implicat creaturæ communicari. Existere etiam divinum quando communicatur humanitati media unione hypostatica, non communicatur sic, quod faciat humanitatem infinite existentem quasi ab intrinseco, et ex sua ratione, sed solum terminat extrinsece naturam humanam, et ideo communicatur illi divina existentia supponendo in omnibus vicem existentiam propriam. Omnipotentia vero non potest sic communicari, quia qui habet omnipotentiam simpliciter, ab intrinseco debet illam habere, et sic repugnat communicari animæ Christi.

XXXVI. Ad octavum respondetur negando consequentiam, et datur optima disparitas: nam ex hoc, quod natura humana terminatur a supposito divino cum ex se sit capax gratiæ, efficitur ut ipsa natura congrue ametur propter illam rationem supernaturalitatis illi communicatam, videlicet esse unitam Verbo. Si enim per Filium totum genus humanum amatur, quanto magis propter illum amabitur natura illa hypostatice unita Verbo? Unio autem causat sanctitatem illam humanitatis per terminationem in ratione personæ. Omnipotentia vero si communicaretur humanitati, deberet uniri illi tamquam forma, seu potentia, quia ut dicitur in secundo de anima, id quo operamur debet se habere ut forma; Deus autem nequit uniri naturæ humanæ ut forma ejus, atque adeo sicut non potest uniri ut intellectus, aut voluntas, nec etiam ut omnipotentia.

XXXVII. Aliqui disputant in præsentia, an saltem omnipotentia in ratione instrumenti communicata fuerit humanitati Christi. Sed ad hoc breviter dico omnipotentiam simpli-

citer non potuisse communicari humanitati Christi, etiam ut instrumentum, cum nullum possit assumi ad creandum, vel annihilandum, ut late diximus tomo ultimo, prima parte, disp. xviii, art. iv. Potest autem dici, quod habet omnipotentiam instrumentaliter secundum quid, quia ad infinitos effectus se potest extendere, justificando infinitos homines, ut sacramenta, et excellentiori modo, quam illa. Determinato jam quod omnipotentia simpliciter nequit communicari animæ Christi, restat inquirere, an saltem secundum limitationem circa aliquod particulare genus communicetur.

ARTICULUS II.

Utrum humanitas Christi in ordine ad opera miraculosa vere habuerit virtutem, et concursum physicum; an solum moralem?

I. Pro intelligentia tituli, et eorum, quæ a nobis dicenda sunt, aliqua prænotare necesse est. Primo, quod omnia illa, quæ de anima Christi in hac parte dicuntur, extendenda sunt ad totam humanitatem ejus proportionabiliter, cum operetur virtute divina, et non propria: secundo, quod nomine potentiæ ad immutandam creaturam, intelligimus in præsentia virtutem executivam miraculorum, et transmutationum, quæ a Christo fiebant in ordine ad finem incarnationis: tertio, supponendum est Christum de facto fecisse multa miracula, non solum ratione divinitatis, sed etiam ratione humanitatis, ut ex ipsa evangelica historia aperte colligitur. Nam Matthæi nono dicitur: *Glorificabant Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*: et Lucæ vi: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*: et in Concilio Ephesino canone xi

dicitur: « Carnem Christi propter unionem ad Verbum fuisse vivificatricem. »

II. Quarto notandum est, quod humanitas Christi est causa formalis principalis omnium operationum naturalium, imo etiam illarum actionum supernaturalium, respectu quarum habebat in se principium, ut patet in visione beatifica, et in dilectione supernaturali Dei. Ad alias autem actiones, quæ propriæ sunt ipsius Dei, ut suscitare mortuos, sanare infirmitates, justificare impios, solum poterat concurrere ut instrumentum Dei, circa quod jam in titulo inquirimus.

III. Ultimo notandum est, in hoc differre virtutem, seu concursum physicum a morali, quod virtus physica est, quæ immediate se ipsa attingit substantiam effectus producti: moralis vero extrinsece tantum movendo causam physicam per modum occasionis. Operatum autem fuisse Christum Dominum miracula moraliter res est indubitata inter theologos, et de hoc satis diximus supra articulo II, quæstione prima, dum de satisfactione Christi ageretur. Tota ergo controversia est de concursu physico, an illum haberit Christi humanitas circa miracula: eadem autem est difficultas de sacramentis novæ legis, et de passione Christi, atque adeo ad hoc propositum faciunt omnia illa, quæ de virtute instrumentali sacramentorum dici solent a theologis infra; et nos etiam dicemus quæstione LXII; specialis tamen ratio est de humanitate Christi, eo quod est instrumentum conjunctum ipsi divinitati.

IV. Prima ergo sententia in hoc dubio est quorundam theologorum asserentium humanitatem Christi non habuisse virtutem physicam in ordine ad miracula, et justificationes hominum, sed tantum mora-

lem. Sic sentit Alexander Halensis, III parte membro III, art. III; Altissiodorensis, D. Bonaventura, Richardus, Gabriel, Durandus, Scotus locis citatis a Suarez disp. xxxi, sect. III. Novissime autem illam mordicus defendit Vazquez disp. LVII, cap. V, et illam antea tradiderat in communi de omni instrumento I part. disp. CLXXVI, cap. III, cujus argumenta ultimo loco afferemus.

V. Secunda sententia est opposita asserens humanitatem Christi vere, et realiter habere concursum physicum ad miracula patranda. Hæc est D. Thomæ in præsentī, et communissima thomistarum, quamvis in modo explicandi illam divisi sint. Quidam enim docent humanitatem Christi dum erat nobiscum in terris talem virtutem physicam instrumentalem habuisse, non autem modo quando est in cælo propter maximam distantiam. Sic sentit Vega lib. VI super Tridentinum, cap. XIV, in fine, ut refert Suarez disp. xxxi, sect. II, prope finem, et idem refert magister Vincentius in sua relectione de gratia Christi, quæst. VI, capite DCLXXVIII. Hoc ipsum dicitur placuisse magistro Victorie.

VI. Alii vero asserunt humanitatem Christi non solum dum in terris erat operatam esse miracula physice, sed etiam modo existens in cælo. Qui adhuc divisi sunt, nam aliqui affirmant humanitatem Christi causare modo gratiam nostram, et alia miracula mediantibus Angelis; sic sentiunt moderni quidam, ut referunt magister Vincentius et Suarez ubi supra: alii vero quod absque Angelis physice instrumentaliter operatur.

PRIMA CONCLUSIO.

VII. Humanitas Christi Domini physice instrumentaliter causat nostram justificationem, et miracula. Hæc est expressa D. Thomæ multis in locis suæ doctrinæ, in hoc articulo, et infra, quæst. XLVIII, art. VI ad tertium, et quæst. X, art. VI. Idem docet de morte Christi in facto esse, et quæst. LVI, articulo I et II, ubi clare loquitur de causalitate physica secundum quod a morali distinguitur, hoc est per meritum. Sequuntur D. Thomam omnes ejus discipuli, præcipue recentiores.

VIII. Probatur conclusio primo multis locis sacre Scripturæ, quos refert magister Medina, in quibus de causalitate physica fieri sermonem videtur apertum. Inter alia notentur illa verba Joann. I: *Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est*, ubi verbum illud facta de causalitate physica intelligi magis proprium est. Deinde probatur ex Concilio Ephesino primo, canone XI, ubi definitur: « Quod caro Christi est vivificatrix propter unionem ad Verbum; » hoc autem non potest explicari in esse morali, cum tota ratio meriti ad animam pertineat; atque adeo explicandum est de causalitate physica.

IX. Hoc etiam videtur aperte colligi ex multis miraculis a Christi patris, non per modum supplicantis, ut impetrantis, sed per modum imperii, Aut illud: *Lazare veni foras*, imperium enim virtutem physicam denotat. Aliquando etiam multa miracula faciebat Christus, in quibus carnem suam volebat esse cooperatricem, ut quando lutum fecit ex sputo, et linivit oculos cæci nati, et quando accepit panem in manibus, ut illum multiplicaret; tunc enim operabatur humanitas

per verum contactum physicum prævium, atque adeo tamquam instrumentum physicum. Extant etiam de hac re multæ auctoritates sanctorum patrum, quas adducit magister Medina in expositione tertiæ difficultatis, in quibus hanc nostram conclusionem sanctos illos patres docere videtur apertum, ubi obiter advertere placet, quam falso Vazquez disp. LVII, capite V, prope finem asserat nullum fuisse ex sanctis patribus, qui hujus difficultatis mentionem fecerit. Sed jam rationibus agamus.

X. Secundo, probatur conclusio. Nam Christo Domino tribuenda est omnis perfectio possibilis, quæ fini incarnationis non derogat; sed causare physice instrumentaliter gratiam, et miracula perfectio est humanitatis, et illi possibilis; ergo illi est tribuenda. Minor constabit ex solutionibus argumentorum pro opposita sententia.

XI. Tertio probatur: Humanitas Christi operatur justificationem, et miracula virtute communi toti Trinitati; ergo operatur illa physice instrumentaliter. Patet consequentia, quia omnis virtus moralis Christi, quæ consistit in infinitate meriti, vel satisfactionis est propria Personæ Filii, qui est persona satisfaciens, et quæ meretur. Antecedens autem probatur ex illis verbis Lucæ XI: *Si in digito Dei ejicio dæmonia*: et Joann. X: *Opera, quæ ego facio, in nomine Patris mei facio*: et cap. XIV: *Pater autem in me manens, ipse facit opera*; quæ loca verificari nequeunt de sola causalitate morali, sed de physica; juxta quam etiam verificanda sunt sanctorum dicta, quando affirmant, quod humanitas Christi est organum divinitatis, quod de organo physico est intelligendum.

XII. Confirmatur hoc ipsum, nam si humanitas solum esset organum

Filii secundum quod ipse est principium infiniti meriti, et satisfactionis media humanitate, tunc quidem humanitas concurreret tantum moraliter per meritum, et satisfactionem; sed illo modo non posset esse instrumentum totius Trinitatis, aut organum deitatis, quia Trinitas non concurrat ad hæc opera per meritum, aut satisfactionem, sed per suam virtutem physicam; ergo cum humanitas sit instrumentum totius Trinitatis, asserendum est physice instrumentaliter concurrere ad justificationem, et ad opera miraculosa.

XIII. Quarto probatur, nam si humanitas Christi solum moraliter concurreret ad opera miraculosa, sequeretur eodem modo posse assumi, ut instrumentum ad creandum. Consequens est contra D. Thomam 1 part. quæst. XLIII, art. v, et etiam in hoc articulo, imo contra auctores oppositæ sententiæ: ergo non solum moraliter, sed etiam physice concurrat humanitas ad talia miracula. Consequentia est optima, et sequela probatur, quia si nihil operatur humanitas circa rem in qua exercetur miraculum, sed solum precibus, et suo merito impetrat a Deo, nihil prorsus obstat, quod etiam precibus, et suo merito impetret a Deo ut Angelum creet, cum circa illum non sit necessarium aliquid operari, atque adeo quicumque affirmaverint cum D. Thoma non potuisse assumi humanitatem, ut instrumentum ad creationem, bene tamen ad miracula, tenentur asserere, quod ad miracula concurrat humanitas physice.

XIV. Non me latet Vazquez, ubi supra hoc argumentum velle solve- re asserendo, quod humanitas Christi non tantum concurrat moraliter per meritum, aut impetrationem, sed etiam quia posito aliquo ejus actu circa rem illam in qua fiebat

miraculum, statim Deus illud parabat, atque adeo cum circa rem creandam non posset humanitas aliquid operari, cum nullum subjectum supponatur circa quod exerceretur actio humanitatis, inde est quod non poterat assumi ut instrumentum ad creandum, bene tamen ad miracula, quia jam præsupponebatur subjectum.

XV. Sed contra istam solutionem est primo, quia iste auctor ut probet humanitatem Christi esse solum morale instrumentum miraculorum, asserit non operari aliquid circa rem distantem, ut quando sanitatem causavit filii centurionis, ut patet in quarto, et quinto argumento oppositæ sententiæ, quæ hujus auctoris sunt; ergo contra seipsum solvit modo argumentum nostrum asserens humanitatem operari aliquid circa subjectum miraculi, atque adeo non dat disparitatem inter concursum instrumentalem ad miracula, et ad creationem respectu instrumenti moralis.

XVI. Secundo, impugnatur illa solutio, quia non est necessarium, quod causa moralis exerceat aliquam operationem circa effectum, qui moraliter tantum ab illa procedit, ut patet quando consilio meo aliquis occidit hominem, ego nihil prorsus operor circa subjectum mortis; ergo eo ipso, quod auctor iste affirmet humanitatem Christi esse causam tantum moralem miraculorum, tenetur fateri necessariam non esse aliquam operationem humanitatis circa rem in qua exercetur miraculum, vel justificatio.

XVII. Tertio, quia si concursus moralis instrumenti in hoc consistit, quod posito actu humanitatis circa subjectum miraculi, Deus operetur illud, non ex vi talis actus, sed aut ex lege, aut ex beneplacito suo, aut pacto; eadem ratione teneretur auctor iste concedere, quod

sanctitas beatissimæ Virginis, aut plenitudo temporis, aut peccatorum multitudo, aut translatio regni Judæorum fuerint vere instrumenta incarnationis, consequens est falsum, quia incarnationis nullum datur instrumentum secundum communem theologorum consensum; ergo et antecedens. Sequela probatur, quia ideo humanitas juxta doctrinam Vazquez est instrumentum morale miraculorum, quia licet non influat in effectum, tamen ex lege, aut pacto, aut beneplacito suo Deus non operaretur miraculum sine tali actu; sed etiam sine sanctitate Beatissimæ Virginis; sine multitudine peccatorum; sine translatione regni Judæorum Filius Dei non assumeret carnem supposito suo decreto de omnibus hic circumstantiis; ergo omnia ista vocari possunt instrumenta incarnationis.

XVIII. Item sequeretur, quod non haberent actiones humanitatis majorem concursum circa justificationes nostras, et miracula, quam oratio S. Stephani circa conversionem D. Pauli; consequens a nullo theologorum admittetur; ergo affirmari non debet antecedens. Probatur sequela, quia si operatio humanitatis nihil causat in re circa quam operatur miraculum, sed solum posita illa Deus miraculum causat, aut justificationem, cum posita oratione S. Stephani Deus causaverit justificationem Pauli, plane sequitur non magis concurrere humanitatem Christi ad nostram justificationem, et miracula, quam orationem D. Stephani.

XIX. Ultimo, impugnatur modernus iste: Quia si actio humanitatis Christi nullo modo influat in rem circa quam fit miraculum, sequitur quod humanitas non sit instrumentum, sed solum conditio sine qua non fieret tale miraculum; consequens est contra eundem auctorem;

ergo. Probatur sequela, quia quælibet causa concursus aliquem, et influxum debet habere circa suum effectum; ergo si nullum habet, actio humanitatis non erit causa, sed conditio sine qua non; ideo enim sacramenta legis antiquæ non dicuntur causæ instrumentales gratiæ, sed egena, et vacua elementa secundum D. Paulum, qui non habebant influxum gratiæ circa subjecta recipientia ipsa, sed ad præsentiam illorum Deus causabat gratiam; ergo idem dici deberet de humanitate Christi, juxta sententiam istius auctoris, atque adeo ut hæc omnia inconsequentia secludamus, asserendum erit humanitatem Christi esse vere, et proprie causam physicam instrumentalem miraculorum.

SECUNDA CONCLUSIO.

XX. Humanitas Christi non solum erat causa physica instrumentalis quando nobiscum degebat in terris; sed etiam modo quando existit in cælo, ita ut physice etiam concurrat circa res loco distantes. Hæc conclusio est contra primum modum explicandi secundam sententiam, qui nobis merito displicet, eo quod si dum erat in terris poterat operari miracula circa distans, etiam modo existens in cælo operari poterit miracula; nam dummodo res sit absens, aut distans, quod distantia sit major, vel sit minor, differentia erit solum accidentaliter, atque adeo maxima distantia, quam modo habet existens in cælo non tollit quin vere, et proprie sit instrumentum physicum miraculorum.

XXI. Probatur ergo conclusio, quia distantia localis non impedit concursus physicum causæ instrumentalis; ergo. Probatur antecedens, quia approximatio, aut appli-